

Burgh under Stanemore. Burgus. Vegetius lib. 4. cap. 10.

Orosius.

Aballaba. Apelby.

cum Directorum Numero egisse. Nunc vero ipsum oppidum in tenuem vicum exiguo propugnaculo munitum, & nomen in *Burgh* abiit, nostrates enim *Burgh under Stanemore*, id est, *Burgus sub Saxeto*, nuncupant. Sub posterioribus Imperatoribus, & notasse semel lubet, Castella parva oportuna bello, & annonæ copia munita *Burgi* dici cœperunt, nomine novo quod post translatum in Orientem imperium à Græcorum *Πύργος* Germani & alii mutuo sumpsisse videantur. Unde & Burgundiones nomen, quia *Burgos* incoluerunt, sic enim illa ætas crebra per limitem disposita habitacula vocavit. Nec aliud de illo legi, quam quod inchoato Normannorum imperio conjugationem in Guilielmum Normannum hic Angli habuerint. *Burgum* hunc **VERTERAS** fuisse vel affirmare ausim, quod distantia hinc à *Levatris*, illinc à *Brovonaco* in Italica resoluta milliaria exacte Antonini numeris respondeat, quodque via militaris Romanorum suo agere etiamnum conspicienda hac ducit ad **BRONONACVM**, per **ABALLABAM**, cujus meminit liber Notitiarum, quæ adeo incorrupto hætenus mansit nomine, ut ipsa se clarissime ostendat, & omnem quodammodo scrupulum eximat. Pro **ABALLABA** enim nos *Apelby* contra te vocamus. Sola hujus vetustas & positio est suspicienda, nimirum Romano sæculo statio erat Maurorum Aurelianorum, & agro non inamœno *Ituna* flumine fere circumfusa: sed ita infrequens est, & tenui structura, ut nisi vetustate meruisset primarium regionis censeret oppidum, & juridicos conventus, sive *Asis* in suo castro habere, quod publicum est maleficis ergastulum, parum admodum à vico abesset. Tota enim pulchritudo in una latiori consistit platea, quæ à Septentrione in Austrum facili colle ascendit, in cujus parte superiori castrum flumine fere totum circumdatum eminet. In inferiori templum, sita est & schola, quam Robertus *Langton*, & *Milo Spencer* Legum Doctores fundarunt, cuique merita cum laude præest *Reginaldus Bambrigg* vir doctissimus, qui plurimas antiquas inscriptiones nobis pro candore suo descripsit, & nonnullas in hortos suos huc transtulit. Nec immerito sane hanc, uti & *Burgum*, quem dixi, *Regias munitiones* vocat Guilielmus *Neubrigensis*, ubi memorat Guilielmum Scotorum Regem illas ex improviso cepisse, paulo antequam ipse apud *Alnewick* caperetur. Quæ Rex Ioannes postea recepta Ioanni de *Veteri ponte*, sive *Vipont*, ob operam egregie præstitam, liberaliter donavit.

Intento hinc cursu in Occasum æstivum fertur fluvius per *Buley*, castrum Episcopi *Carleolensis*, & *Kirkby Thore*, sub quo magna rudera vetusti oppidi visuntur, Romanique nummi subinde eruntur, & hæc non ita pridem inscriptio:

DEO BELATVCAD-
RO LIBVOTV
M. FFCIT
IOLVS.

Nomen autem vetustum penitus oblitteravit ipsa vetustas, *Whelley-castle* hodie nuncupant. Si per Antiquitatis prætores liceat, dicerem esse Gallatum. **GALLAGVM** Ptolemæi, quod Antonino **GALL**-
Britannia.

LATVM, suffragante itineraria distantia, nec prorsus reclamante nomine. Quæ enim à *Gall* Britanni incepterunt, in *Wall* converterunt Angli. sic **GALENAM** *Wallingford*, & *Gall-Sever*, *Wall of Sever*, &c. dixerunt. Melioris olim notæ proculdubio fuit cum hinc ad *Caer-Vorran* juxta murum *Picticum* via lapidibus constrata, *Maiden way* vocant, qua uliginosi magno gradu excurrunt montes per xx plus minus milliaria, quasi recta ducit. Ad quam stationes & Mansiones ab Antonino in nono Britanniarum itinere sitas fuisse libens existimarem, etsi loca nemo signaverit; nec mirum, cum Temporis omnia conficientis & confumentis tot jam seculis fuerint pabula.

Iuxta ad *Crawdendale-waith* fossæ, valla, & aggestæ moles apparent: & inter ea hæc Romana inscriptio (quam mihi descripsit, quem dixi *Reginaldus Bambrigg* Gymnasiarcha *Applebeix*) in aspera rupe excisa fuit, cujus pars prior vetultate omnino exesa.

-----VARRONIVS
---ECTVS LEG. XX. V. V.
---AEL. LVCANVS
--P.LEG. II. AVG. C.

Id est, ut ego lego, --- *Varronius Præfectus legionis vicefima Valentis Victricis* --- *Aelius Lucanus Præfectus legionis secunda Augusta, castra metati sunt*, vel aliquid tale. Legio enim vicefima Valens *Victrix*, quæ suam sedem **DEVÆ**, id est, *Westchester*, & Legio Secunda Augusta, quæ suam **ISCÆ**, id est, *Caer-Leon* in Wallia sedem habuit, evocata contra hostes in hac parte, hic substituisse, & sua stativa castra aliquandiu habuisse videantur, Præfectosque ad rei memoriam hoc in rupe insculpsisse. Tempus non facile dixerim. Ad tempus tamen designandum in vicina rupe hæc literæ grandiusculæ insculptæ supersunt **CN. OCT. COT. COSS.** sed inter Consulium paria in *Fastis* nihil tale occurrit. Observavi tamen à *Severi* ætate ad *Gordianum*, & postea, literam **A** ubique in hac insula in omnibus ejus seculi inscriptionibus transversam lineolam non habere, sed sic **A** notari.

Fertur hinc **ITVNA** non procul ab *Howgill* castro *Sandfordorum*, via vero militaris recta in Occasum *Equinoctialem* ducit per *Whinfield*, vivarium amplum, arboribus opacum, ad **BRONONACVM**, xx milliariibus *Italicis*, **XVII** *Anglicis* à **VERTERIS**, ut posuit Antoninus, locatum, cui etiam *Broconium*, uti *Broconiacum* in Notitiarum libro nominatur, qui Numerum Defensorum hic sua habuisse stativa docet. Hujus ædificia & dignitatem licet absumpserit vetustas, nomen tamen fere inviolatum superest, *Brougham* enim vocamus. Hic *Eimotus* fluvius ex amplo lacu effusus, & aliquandiu hanc regionem à *Cumbria* dividens, *Loderum* flumen recipit, prope cujus scaturiginem ad *Shape*, quondam *Hepe*, monasteriolum, à *Thoma* filio *Gospatrii* filii *Ormi* constructum, fons est qui instar *Euripi* sæpius in die reciprocantibus undis fluit & refluit, & ingentia forma pyramidali saxa, quorum nonnulla novem pedes altitudine, & crassitudine **XIIII**, recta quasi serie per mille passus æquali fere distantia disponuntur, quæ
M m m m m ad

Maiden way.

A pro A.

Brotoniacum. Whin Septentrionalibus, quod Australibus A Burr. Brougham.